peccatum eius potuit tacendo relaxare. sed loquendo per vocem. radiando per lumen. exemplo suae misericordiae. nostra ad paenitentiam voluit corda convertere; Miramur fratres karissimi. quod persecutorem suum saulum dominus de caelo prostravit. de caelo adloquutus est; Ecce nostris quoque temporibus. peccator et paenitens vocem de caelestibus audiuit, illi dictum est. quid me persequeris? iste vero meruit audire dimissum est peccatum tuum; Longe est inferior meritis peccator paenitens iste quam paulus, sed quia adhuc hac in ire de saulo loquimur. crudelitatem necis anhelantem. licet audenter dicere; quia saulus propter superbiam vocem increpationis. iste vero propter humilitatem vocem consolationis audiuit; hunc quia humilitas straverat. divina pietas erigebat. illum quia superbia erexerat. divina severitas humiliabat; habete ergo fratres mei fiduciam de misericordia conditoris nostri. Cogitate quae facitis. recogitate quae fecistis; Largitatem supernae pietatis aspicite. et ad misericordem iudicem. dum adhuc expectat cum lacrimis venite. Considerantes namque quod iustus sit. peccata vestra nolite neglegere; Considerantes vero quod pius sit. nolite desperare. prebet apud deum homini fiduciam deus homo, est nobis spes magna paenitentibus. quia advocatus noster. factus est iudex noster. Qui vivit et regnat in secula saeculorum. Amen.

Sequentia sancti evangelii secundum Lucam

In illo tempore. dicebat ihesus discipulis suis; Cum audieritis proelia et seditiones. nolite terreri. oportet primum haec fieri. sed non statim finis; tunc dicebat illis; Surget gens contra gentem. et regnum adversus regnum. et terrae motus magni erunt per loca. et pestilentiae et fames; terroresque de caelo. et signa magna erunt; Sed ante haec omnia inicient vobis manus. et persequentur; tradentes in sinagogis et in custodias. trahentes

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc271/0124